

ordinationes ecclesiasticas non distollunt perficere. Nunc quidem oportunum nobis fuit, et valde cum lamentatione cordis, atque iterum omnia non solum postulare pro nostra redemptione apostolicis obtutibus nostri domini, verum etiam et declarare, quidquid nobis ipsi sevissimi Langobardi pro iussione regis sui exercent, quia, dum vestra coangelica iussio et auctoritas fuit apud regem nobis, ecclesiae nostrae omni in re contradicere de hereditatu, ut mos erat antiquitus, factum est; sed, qualiter humiliter sugeramus de eorum illusione, plenius ignoramus. Imprimis ipsum in parvo, quod est dilaniatum, qualiter ipsi volunt, relaxant, nec permittunt actores sanctae ecclesiae nostrae ex nostra preceptione aliquid ibidem iuris exhibere, sed ipsi protervi praevericatores episcopi magis magisque contumaces consistunt et contraria gerunt. Unde die noctuque proclamantes, terra prostrati ac si presentialiter ante apostolici nostri domini obtutibus erimus, propter redemptionem omnium nostrorum, unde noster pius, egregius, solertissimus dominus agone preceptionis suae auctoritatis sibi a beato concessae Petro iam enituit, nunc deposci [et] perlustrari, ut saeviente mercenarii morsu oppiletur os et dispersa grex innocens Istriensis provinciae per vigore apicibus vestris apostolicis certaminibus merita revocetur ad caulas salutis, ut, sicut a priscis temporibus sub uno pastorali gubernaculo fuit grex adscita, conscientia ovili, precamus, de manibus gentis eripiatur Langobardorum, ut vigor et dignitas beati Petri et vestra pollulet satis, ut iam amplius ab ipsis perfidis Langobardis sanctorum patrum non praevericetur canonica norma nec sanctarum ecclesiarum Dei obscurentur luminaria nec pauperes populi, qui magnam vim sub eorundem horribile iugum assidue sustentant, amplius iam dilanientur eorum oppressionibus, sed, redempti a Domino et a beato Petro per magni et benigni pastoris agonem, pro vita et incolunitate nostri apostolici domini incessanter Christi Dei nostri misericordiam ingemiscentes valeant exorare. Quia, et ut certum sit potestati vestrae plenissime, sicuti qui sitiens in ardore ad fontem vivum velocius concurrit, ita et populus Iстriae provinciae redemptionem et protectionem a Deo et